



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiqvo Veroqve Eivs Insvlae Qvam  
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;  
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

**Aurelius, Cornelius**

**Antverpiæ, 1586**

De Corn. Avrelio Et Variis Eivs Scriptis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38123**

DE CORN. AVRELIO  
ET VARIIS EIVS  
SCRIPTIS.

**O**RNELIUS *Aurelius*  
*Hollandus, patria Goudanus,*  
*quod & cognomine suo ad-*  
*umbravit, Canonicus Augu-*  
*stinianus in Hemdonck, eiusdem, vt vide-*  
*tur, cum Erasmo instituti, atque adeo eius*  
*præceptor fuit; quantum ex Epistola quadam*  
*Adelardi Amsterdami ad Aurelium Loua-*  
*nio Anno Domini M. D. X V. scripta, qua*  
*ipsi auctor est scribendi aduersus Nouiomia-*  
*gum, qui Bataviam Hollandis præripere co-*  
*nabatur, satis constat. quam quidem Episto-*  
*lam his verbis claudit: Erasmus Basileæ*  
*agit. Miramur omnes quòd tui sin-*  
*cerissimi semper amici & præceptoris*  
*nusquam meminit. Coætaneos habuit*  
*Gulielmum Hedanum & Reynerum Snoy,*  
*non ignobiles Hollandicarum rerum histori-*  
*cos. Ipse Oratoriis poëticisq. studiis ita bar-*  
*baro illo æuo claruit, vt Imperator Maximi-*  
*lianus ei nihil tale ambienti laurum Apolli-*  
*neam*

neam (ut ipse met Epistola quadam ad Iohannem de Hemstede Liesveldiae dominum testatur) per Oratorem suum vatemque clarissimum Stephanum de Cracouia miserit. Variam historiarum antiquitatisque cognitionem abunde duobus hisce libellis, quos nunc publici iuris facimus, est testatus. quorum priorem inscripsérat, Defensionem gloriæ Batauinæ. aduersus eos scilicet qui Batauiam Hollandis præripiebant. altero, titulum fecerat, Elucidarium variorum quæstionum super Batauina regione & differentia. quos ego titulos breuitatis causa in hunc commutavi, De situ & laudibus Batauiæ.

SCRIPSIT vero etiam alia multa.  
quorum nonnulla hisce libellis adiecta sunt;  
nonnulla apud me extant; nonnulla, quæ  
a se scripta esse testatur, nondum in manus  
meas peruererunt.

Diadema Imperatorium, siue De officio  
boni Imperatoris, adiectum huic opusculo.

Epistolæ aliquot ad viros Illustres. quārum  
nonnullæ nunc prodeunt.

De gloria & miseria septem artium li-  
bera-

beralium , vbi Theologiam facile omnium  
principem statuit.

Duo libri Orationum , diuersos Nobilium & Ecclesiasticorum status concernentes . quarum usus esse possit in eorum receptione , consalutatione , vel promotione .

Caroli Hispaniarum regis præconia , qui-  
bus titulus , Prognosticon . carmine Elegiaco .

Gratiarum actio ad Henricum Comitem  
Nassouium Caroli Hispaniarum Regis in  
Hollandia vicarium : ob victoriam aduersus Gelros . scripta carmine Heroico , libris  
duobus .

Querimonia Pacis carmine Elegiaco .

Apocalypsis , siue Narratio facetissima su-  
per obitu Ludouici Regis Galliarum , &  
Maximiliani Imperatoris Romani ; qui in  
vnum consentientes , nepotes suos super im-  
perio contendentes felici fœdere pacifica-  
runt , carmine Elegiaco .

De obsidione vrbis Schoonhouiensis per  
Sicambros , carmine Elegiaco .

De S. Cornelio summo Pontifice &  
martyre .

De S. Martino .

Dialogus Vestæ & Neptuni super inun-  
datione , carmine Elegiaco .

BON.